



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.I.], 1645**

§. 11. Luculentum Dei, in rebus desperatis, per viduam succurrentis  
exemplum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

16 Cap. I. Relictos à Deo curari,

meus, Deus meus adiutor meus: & sperabo in eñ.

In tribulatione mea innocavi Dominum, & ad

**Plutarch.** Deum meū clamaui. Sequitur enim: Et exau-  
**in Apoph.** diuit de templo sancto suo vocem meam. Darius

Xerxis pater aiebat, se in pralijs & periculis e-  
uadere prudentiorem. Idem contingit electis,

cum in summa discrimina incurruunt, sunt  
prudentiores: quando enim vident, actum

esse de subsidio mortalium, non despondent  
animum, sed ad asylum maius confugiunt,

**Psal 17.4.** cum hac voce: Laudans inuocabo Dominum,  
& ab inimicis meis saluus ero. Nescio quale

nunc sit seculum.

Terra malos homines nunc educat atq; pu-  
illos,

quos scilicet non prudentiores, sed amentio-  
res faciunt pericula; neque enim, orta tem-  
pestate, nauem in portum, sed in scopulum  
inferunt, quia non fugiunt ad Deum, sed  
Deum relinquunt. Hinc tot naufragia pa-  
tiuntur, nec tabula illis relinquitur, quia  
anchoram abiecerunt, qua vñsi procellas om-  
nes sustinuerint.

§. XI.

Luculentum Dei, in rebus desperatis, per vi-  
duam, succurrentis exemplum.

**Judith. 7.** 20. Sine numero sunt exempla, in libris Io-  
sue,

sue, Iudicum, Regum, quæ, breuitatis caufa, transeo. Illud non possum prætermittere, quod in historia Judith fortissimæ heroïdis offertur. Terribile fuit nomen Holofernis: exercitus ingens: apparatus armorum formidandus. Erant enim pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia, præter preparationes virorum illorum, quos occupauerat captinitas, & abducti fuerat de prouincijs & urbibus uniuersæ iuuentutis. Omnes parauerunt se pariter ad pugnandum, contra filios fraël. Quem non percellat tanta multitudo? Accessit aquæ penuria. Nam Holofernes incidi præcepit aqueductum illorum. Et quia fuerant non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potius, quam ad potandum, &c. constituit per gyrum centenarios, per singulos fontes. Cumq; ista custodia, per dies viginti, fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum, omnibus habitantibus Bethuliam, ita ut non esset intra cimitatem, unde satiarentur, vel una die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie. Tunc ad Oziam congregati omnes viri, feminæq;, iuvenes & parvuli, omnes simul una voce dixerunt: Indicet Deus in-

Judith. 7.  
2.

B ter

ter nos & te, quoniam fecisti in nos mala, NO-  
LENS LOQVI PACIFICE CVM  
ASSTYRIIS; & propter hoc vendidit nos  
Deus in manibus eorum: Et idè non est, qui  
adiuuet, cum prosternamur ante oculos eorum  
in siti, & perditione magna. Et nunc congre-  
gate uniuersos, qui in cinitate sunt; ut spon-  
te tradamus nos omnes populo Holofernisi. Me-  
lius est enim, ut captiui benedicamus Domi-  
num viuentes, quam moriamur, & simus op-  
probrium omni carni, cum viderimus uxores  
nostras, & infantes nostros mori, ante oculos  
nostros. Sic populus loquebatur, qui, cum  
humanam opem nullam sciret, proximum  
habuit, vt desperaret. Nec id adeò mirum;  
mobile est vulgus, neque ita longè prospic-  
cit. Illud mirum, immo mirissimum, ipsum  
Oziam passum esse, se in hanc sententiam  
flecti, neque spem supra vulgus extendisse.  
Nam etsi dixerit: AEquo animo estote fratres,  
& hos quinque dies expectemus à Domino mi-  
sericordiam (quibus verbis ostendit, be-  
ne se nosse; ad quem, tanquam ad sacram  
anchoram, in vltimis rebus, sit confugien-

Rom. i. dum) tamen cum cognouisset Deum, non sicut

<sup>21.</sup> Judith. Deum glorificauit, sed terminum illi fixit,

<sup>7. 25.</sup> inquiens: Si autem, transactis quinq. diebus,

non

non venerit adiutorium , faciemus hæc verba ,  
quæ locuti estis. O miserandi Præfules , qui  
non vobis legem scientibus populum , sed  
vos populi erroribus accommodatis ! Quid  
præstis , si subestis? Quales Duces vocabo ,  
si vos duci sinitis ? Diu durauit obsidio ; diu  
bellum ; ferre amplius non potestis : actum  
est : extrema consilia sunt circumspicienda :  
hosti omnia annuenda: sic arma quiescent:  
sic pax dabitur ; inquitis ; cuius conficiendæ  
alia nulla supereft via. At Deus supereft.  
Non me , sed virilis animi fæminam audite ,  
ad Oziam Principē Iuda , & ad presbyteros  
Chabri & Charmi sic perorantem: *Quod est* Iudith. 8.  
*hoc verbum* , inquit, *in quo consensit Ozias* , ut 10.  
tradat ciuitatem Assyrijs , *si intra quinq[ue] dies nō*  
*venerit vobis adiutorium?* Et qui estis vos ,  
qui tentatis Dominum ? Non est iste sermo , qui  
misericordiam pronocet , sed potius qui iram ex-  
citet , & furorem accendat . Posuistis vos tem-  
pus miserationis Domini , & in arbitrium ve-  
strum , diem constituistis ei , &c. Expecterans lb. 8. 20.  
humiles consolationem eius , & exquiret sanguinem  
nostrum de afflictionibus inimicorum no-  
strorum , & humiliabit omnes gentes , quæcumq[ue]  
insurgunt contra nos , & faciet illas sine honore  
Dominus Deus noster . Et nunc fratres , quo-

niam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, ut memores sint, quia tentati sunt patres nostri, ut probarentur, si verè colerent Deum suum. Quod ubi exemplis confirmavit, hunc, nostris quoque desperatoribus, & Domini causam deserentibus, appositissimum epilogum adiecit: *Et nos ergo non vlciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram, euenisse credamus.* Si iam Politicorum nostrorum suffragia colligere mihi liceret, an non plures, cum populo, cum presbyteris sentire, quam cum Iuditha, deprehenderem? At non est iste sermo, qui misericordiā prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accedit. Non ponamus ergo tempus miserationis Domini, & in arbitrium nostrum, diem constituamus Deo; sed expectemus humiles consolationem eius. Si viri defint, si defint heroës, etiam si nullus adsit Achilles, nullus Ajax, nullus Priamus, (quod non dixerim) si tamen Deus auxiliari nobis voluerit, vel per feminam nos liberabit. Quò despatiores sunt res nostræ, eò luçulentius est auxi-

auxilium diuinum; sicut & medico glorioſius est, si pellat morbos, qui incurabiles videbantur.

§. XII.

*Aliud, in alia Heroide, quæ & Deipara Maria figura fuit, in summo discrimine missentis Dei exemplum.*

Tale periculum etiam Iudæis impendebat, per omnia Assueri regna, cum Aman (cui supercilium vastum erat, & tantum quantum barba) totius gentis interitum, decem millibus talentorum, vellet mercari. Iam consenserat Assuerus, vocatiq; sunt scriba regis, mense primo Nisan, tertia decima die eiusdem mensis: & scriptū est, ut iusserrat Aman, ad omnes satrapas regis, & indices prouinciarum, diuersarumq; gentium, ut quæq; gens legere poterat, & audire, pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: & litteræ signatae ipsius annulo, missæ sunt per cursores regis ad uniuersas prouincias, ut occiderent atq; delerent omnes Iudeos, à puero usq; ad senem, paruulos & mulieres, uno die, hoc est, tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. Atque ut videamus, rem in extrema tegula stetisse, jam in Susan pependit edictum; iam cuncti Iudæi,

*Esther.*  
3.8.

B 3                   cum